

Q.K.405,43.

De memorabilibus et beatis familiaribus

D.L.

II m
56

PRAESVLEM SVMME REVERENDVM,
PATRES ITEM, PATRONOS, ATQVE FAVTORES,
OPTIMOS, GRAVISSIMOS,
PER QVOS RES HAEC SCHOLASTICA SARTA ET TECTA
EST, AD AVDIENDAM,
DE FATIS FAMILIARVM, ORATIONEM,
QVAM, FAMAM

RICHTERIANAM

OBSERVATVRVS,

GOTTLOB SIGISMVNDS HOMILIVS, FREIBERG.

DIE IV EID. MARTII, A. d^o 15^{cc} XXVI,

FINITIS SACRIS, MEMORITER HABEBIT,

EA, QVA DECET, AC FIERI POTEST,

REVERENTIA INVITAT

M. SAMVEL MOLLERVS, G. R.

Freibergæ,

Literis Christoph. Matthæi.



h. 406.

D. F.

Q Vicquid nationes ac populi per Famam obtinent, quæ eorum, vel virtutes pleno commendat ore, ac prædicat, vel etiam vitia, si potiora illis sint, earumque laudem, velut dominante avena, suffocent, improbat, digneque carbone notat: illud etiam singulis evenire solet familiis, quas ista item, moribus æque a fortuna monstrabiles, ornat, infestaturue, atque perinde, ut meritæ fuerint, posteritati conspicendas exhibet. Eandem cum parente aliæ indolem fortiuntur, eandemque in cantu vocem, in pennis colorem referunt: neque ab natura temere sua feminæ terræ mandata deficiunt, sed in ipsa messe, fructu multiplici exuberantia, restituuntur: ita vero & liberi ipsi progenitorum suorum plerumque sanguinem, temperamentum, & voluntatis cupiditatumque inclinationes, una cum vita accipiunt, atque ex ea parte, ad quam se fere potissimum applicant, cognoscuntur. Multa hic naturæ, quæ mater, opera est, magnumque studium, quæ, quam senel singendi formandique rationem ingressa est, deinde retinet, atque illud, quicquid primum ingeneraverat, in subsequentे progenie repetit ac renovat. Si proinde corpus species, non obscuris inde indicis conjectura sœpe datur, ad quam quis familiariter, tametsi nulla ejus facta sit mentio, genus suum referat, quod vel frons, vel oculi, vel oris habitus, vel aliud quid piæ, id ipsum, quod alibi non facile invenitur, liquido exponunt, atque ibi maxime conspicuum exhibent. His etiam rebus factum est, ut, eadem magistra procurante, peculiares in quibusdam familiis notæ invenirentur, ex quibus de sole ferri posset judicium: quippe Thebis Lanceam genitivis habere notis Satorum nomini proprium extitit; Pelopidis humerum eburneum; ac in Seleuci posteris, cuius mater ex Apollinis concubitu concepsisse, ac minus nullum ab eo, in cuius gemina ancora sculpta, tulisse, fertur, ingenuum hoc ancoræ signum, quasi argumentum originis, mansit. Alexand. ab Alex. L. II. c. 19. Cœl. Rhodig. L. XXIX. c. 8. Iustin. L. XV. c. 4. Atque ista, quæ in corpore, ad primum institutum formando, tamen solers & solicita est, ipsas pariter mortes tanta subinde æquat cura, ut vivendi moriendique tempus idem illis definit. Probat illud Alexandri M. effatum, qui valedicente ultima correptus, cum quarta die indubitat: in mortem sensisset, agnoscere se fatum domus majorum suorum, ait: nam plerosque Aeacidarum, a quibus maternum genus ducebat, intra trigeminum annum defunctos. Juslin. L. XII. 15. Multo autem notabilior Potitiæ, apud Romanos, gentis clades est, quæ, quasi ex uno ferali ictu, nulloque, qui porro nomen illud ferret, relicto, periit: cumque duodecim ea tempestate familie essent, puberes ad triginta, omnes, intra annum, cum stirpe, extincti sunt. Liv. L. IX. c. 29. Herculem nos, quo indignante, quod sacrum ipsius publicis servis delegaverant, isti occisi feruntur, nos ignoramus; sed tamen Dei O.M. in Heli Sacerdotis summi familia, iram durasse, præterque mala alia multa, posteros ejus ad ætatem grandem non pervenisse: atque Joabi, per eandem, prosapiam cunctam, cum lepra, debilitate, hostili gladio, ac fame perpetuo conflictatam esse, testis est sacra pagina, I. Sam. II. 32. & II. c. III. 39. Major ipsis naturæ vis est in animo, qui si bonus semper esset, plus bonorum foret, malorum minus: qui vero, tanquam malum, mali corvi, ovum, pullum plerumque reddunt pejorem, atque labem a se conceptam pestilenti contagio disseminant. Quod ipsum de se, vel sponte sua Domitius, Neronis pater profensus est, qui, inter gratulationes amicorum, quicquam ex se, & Agrippina, nisi detestabile, & male publico, potuisse nasci, negavit. Svet. in V. Ner.



Ner. c. 6. Utinam vero omnes boni essent, istique soli triumpharent! Ac videas certe tales, qui probi essent, quique, aliis cupiditatibus pravis suis velificantibus, e regione ipsis oppositi, quicquid virtute possent, domi, forisque experiri maluerint. Poplicolæ nomen, ejechis Tarquinii, cum ædem, quam in Velia, tutissimo loco habebat, suspicionem affectati regni evitaturus, dirueret, cum securibus fasces vacue faceret, atque hos in concione submitteret, cum legem in comitiis centuriatis ferret, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem verberaret, aut necaret, P. Valerius sibi meruerat, atque ex eo tempore familiae illius ope & gratia plebs saepemixa est. Contra ea tale aduersus plebem, eodem fere tempore, Appius odium conceperat, quod ne in posteris unquam extinctum est, quippe familia haec domesticis iris ac armis munita, unice pro patriæ nobilitatis honore, utque aduersæ illi parti noceret, vel dimicavit, vel locuta est. Perpetua familiae Barchinæ in Romanos concepta indignatio, ac multis utrinque cladibus illatis atque acceptis confirmata, non nisi cum interitu illius sublata est; perpetua item, in illa debellanda, atque hac non modo, sed ipsa etiam Carthagine, imo tota Africa domanda, Scipionum virtus fuit ac felicitas. Est etiam in quibusdam familiis proventus bonorum tam beatus, ut degenerem fere nesciant, atque, quam semel circumfundere gloriam famamque cœperunt, tanquam sibi propriam & perennem, ordine non interrupto, per manus dent, atque propagant. Convenit itaque in ipsis illud Horatii, Libr. IV. Carm. 4.

Fortes creantur fortibus & bonis;
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroce
Progernerant aquilæ columbam.


Est enim in illis virtutis ac honestatis alumnis quædam naturæ vis ac solertia, quam Græci εὐφυίαν nuncupant: hac ipsi, quam primum illud per ætatem fieri potest, ad omnia, quæ recta esse vident, inclinantur, cum iisdem se fere oblectant, ipsa amant, ac tandem, Deo adjuti, perficiunt. Sine hoc enim bonus vir nemo, nulla mens bona est: ac semina illa divina in corporibus humanis dispersa, si bonus cultor excipiat, similia origini prodeunt, & paria his, ex quibus orta sunt, surgunt. Seneca Ep. 41. & 73. Plato in Dial. de Virt. Neque ego, hanc ethnicos ipsos bonitatem naturalem præterire dixerim: quæ tametsi ab salutari illa, quæ non nisi in illa arctiori piorum, atque ad meliorem vitam revocatorum, conjunctio ne cum Deo locum habet, gratia haud proficiuntur; tamen, quatenus ex lege naturæ, quæ omnium est insita cordibus, provenit, ad Deum quoque ipsum, tanquam autorem, merito referuntur. Et qui ab regia ille via desicere poscit, quem tenerum jam piorum magistrorum præcepta formant, & parentum atque amicorum monita subinde excitant, quæque illum, qui senior esse velit, quasi stimulis additis impellunt, ac ipsa rei hene gestæ præmia, licet eminus, sed certo tamen obventura, perpetuoque duratura, commonstrant? Quæ enim majoribus data fuit crescendi copia, eadem & posteris patet: quodque his ipsis jam olim, ad famam consequendam, aditus omnes præparati fuerunt, eo inde erit facilius, doctrina & institutione adminiculante, haec, quæ grandia sunt, præ illis adipisci, quibus illud, magno cum conatu, per aspera & confragosa omnia, iter inchoandum pariter ac perficiendum est. Novi itaque homines

A K II m 56

X 337 9269

homines, nullis majorum ornamenti conspicui, sed per se saltem cogniti, ad summos, per omnes gradus, magistratus cum grassarentur, mirum illud videbatur ac arduum: minus vero, si viros, in excenso natos, perque majorum vestigia progressos, sua illis adinoveret nobilitas, eo tamen vel magis certe conspiciendos, quod tam sua, quam aliena radiare luce possent. Neque tamen quicquam ætatem istam, quaæ adolescent, regit efficacius, quam ipsorum exemplorum vis tacita, quaæ sine metu, infidelis sæpe magistro, fineque imperio, quod quandoque fastiditur, docet ac fvatet, & auribus non modo, sed oculis etiam percepta, ad animum altius penetrat, eoque sedet penitus, quo libentius admissa est. Quo autem propiores illi sunt, in quorum vitas, tanquam in speculum, inspicimus; tanto magis eosdem diligimus; atque dum eosdem ita diligimus, sequi etiam gaudemus, omnia eorum studia, & mores ipsos, admirati æque ac imitati. Felicissime autem hic proficiet, qui optimum quemque sibi æmulandum proposuerit, ac ratione magis, quam autoritate fuerit compositus: a qua vero cum multum regula aberretur, hoc, ut præter virtutes ac artes, prævæ etiam libidines, vitia, & mores minus probati in ipsis alantur familiis, ac proferantur, sæpius evenit. Veneratur Saxonia nostra, & colit religiose, ista Heroum Illustrissimorum stemmata, quaæ, honoribus continuatis, virtutem quoque Majorum ac decus reddiderunt, inque ornanda & conservanda patria, gentilitiam istam, nascentique forte insitam sibi, pietatem approbant, atque ita, meritis in immensum cumulatis, æternitatem sibi paciscuntur. Sunt etiam familie, quaæ gentibus cunctis per plurima, eruditio[n]is laude, secula innotuerunt, atque vel Theologis, vel Iurisconsultis, vel Medicis excellentes editis, adhuc celebrantur: Sunt, quaæ ad artes alias, aliaque studia in primis apta proferunt ingenio, quaæ illud, quicquid instituunt, ita factitanti, ut reliquis palmam facile præripiant omnibus. Laudem ejus, quaæ absolutissima est, eloquentiae, præter Curiones atque Grachos, Hortensi obtinuerunt olim, quaæ ibi radices alte adeo suas egerat, ut in Quinti etiam filia, cum admiratione omnium fese proderet. Quæ, cum ordo Matronarum gravi a Triumviris tributo oneraretur, nec quisquam virorum patrocinium eis suum accommodare auderet; sola hæc eandem causam, ad omnes pertinentein, egit, quodque ejus magnitudini sufficiebat, hoc, ut major imperata pecunia pars remitteretur, obtinuit. Val. Max. L. VIII. c. 3. Potior longe Fabiæ gentis fuit gloria, quaæ magnis semper rebus intenta, magna etiam cuncta consecuta est. Quare Fabius Maximus, cum a se quinques, & a patre, avo, proavo, majoribusque suis sæpe numero consulatum gestum animadverderet, comitis, quibus filius ejus, summo consensu Consul creabatur, quam potuit constanter cum populo egit, ut vacationem aliquando hujus honoris Fabiæ genti daret, non quod filii virtutibus diffideret, erat enim illustris, sed ne maximum imperium in una familia continuaretur. Id. L. IV. c. 1. Et tamen, si vel quandoque res ita bene geratur, ea etiam vacillat non raro felicitas, ambiguumque ipsius nativitatis bonum est: nos autem Deum quæsumus O. M. ut faxit illud propitius, quo, quaæ bona sunt, indolem rectam suam retineant, quaæ sequiora, emendentur, omnibusque ex bene nata educataque sobole, gaudium illud, qvod solum verum, solumque sincerum est, parentibus veniat, atque ita & familiarum honori perpetuo ac famæ consulatur!

Farbkarte #13



De memorabilibus et hanc familiarum
PRAESVLEM SVMME REVERENDVM,
ES ITEM, PATRONOS, ATQVE FAVTORES,
OPTIMOS, GRAVISSIMOS,
YOS RES HAEC SCHOLASTICA SARTA ET TECTA
EST, AD AVDIENDAM,
E FATIS FAMILIARVM, ORATIONEM,
QVAM, FAMAM
CHTERIANAM
OBSERVATVRVS,
JOB SIGISMVNDVS HOMILIVS, FREIBERG.
DIE IV EID. MARTII, A. cI*o*cc xxvi,
INITIS SACRIS, MEMORITER HABEBIT,
EA, QVA DECET, AC FIERI POTEST,
REVERENTIA INVITAT
A. SAMVEL MOLLERVS, G. R.

Freibergæ,
Literis Christoph. Matthæi.

